

**Demours, Antoine-Pierre - candidat /
Grossin Duhaume, Etienne - président
/ Pautier de Labreuille, Denis
Desbois, Louis René -
auteur. - An dysenteriae Ipecacuanha
?**

1783.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°100***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ mensis

De cembris, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M^o. STEPHANO GROSSIN DUHAUME,


Doctore Medico, Præside,

An Dysenteriae Ipecacuanha?

I.

CORPUS humanum duas tantum, solidas & fluidas, partes agnoscit; dum inter has adest consensus, sanitas; è contrâ morbus, si discordia; licet omnes totius machinæ conservationi inserviant, non est (ne credas) in unâquâque dignitas eadem & præstantia; illa enim spiritus elaborat, in istâ conficitur sanguis; aliæ secretionibus &

* Propugnata anno 1745, a M. Dionysio PAUTIER DE LABREVILLE. M. Ludovico Renate DESBOIS, Præside.



excretionibus dicantur; eâ ratione in Principes & Ministras dividuntur. Principes duas tantum assignant Neoterici, cerebrum & cor; reliquæ dicuntur ignobiles seu ministræ, inter quas primum tenet locum ventriculus coctionis opifex. Hæc membranacea pars instar sacculi cava, in sinistro hypochondrio sita, cibos tritos, jam salivali liquore subactos sinu suo complectitur, atque perfusos gastrico, concoquit; si perfectè, fit laudabilis chylus; undè humorum & solidorum bona diathesis; si verò imperfectè concoquuntur, crassior & pravus nascitur chylus; hinc depravatio sanguinis succique nutritii, partium ametria, à quibus, ferè omnes morbi, præsertim varii alvi fluxus, natales ducunt. Quique morbi à remediis mucagine repletis, vi emeticâ & purgante præditis feliciter curantur.

I I.

UT sanitatis, sic morborum auctor ventriculus audit; vix unus qui sua non illi debeat natalia. Dysenteria à læsâ coctione ventriculi pendet; hæc crudelis affectio, cum tenesmo levioze vel graviore, totiusque ventris torminibus, cruenta, quandoque purulenta describitur egestio, quam pungens & vix sedandus subsequitur dolor. Triplicem sanguinis evacuationem Veteres agnoscebant dysentericam, sed improprie, unica tantum, quam pungens & lacerans concomitatur dolor.

I I I.

DYSENTERIA ab affectâ parte nomen habens, dicitur nonnunquam intestinorum Helcôsis, cujus comites, inflammatio, dolor & febris. Ineunte morbo, bilem primum, dein mucosam reddit alvus pituitam, cui subpinguis, dum ulcus adest, succedit materia. Post hæc, ramenta prodeunt interioresve laceræ intestinorum tuniçæ; propria tandem illorum abraditur substantia, quæ putris cum purulentâ profluvie prodit. Inter hæc omnia cruor paulatim & brevibus intervallis, per alvum manat, isque modò cum excrementis, modò cum mucosis purulentisve quibusdam corpusculis excernitur. Multus in ano dolor, magna, frequens & inanis sæpè desidendi cupiditas; cum quid exit exiguum, ventris tormina intenduntur, postea mitescunt paululum; rursus acri sæviente humore, pejora redeunt. In quo intestino delitescit malum, ex sanguinis cum fæcibus commixtione, & ex sita doloris conjicere licet; si suprà umbilicum sæviat, & exquisita sit commixtio, in tenuibus intestinis focus & minera morbi; si infrà umbilicum & ferè nulla sit commixtio, in crassioribus latitat. Innumera penè in dysenterico affectu occurrunt symptomata, quæ varia, pro succi peccantis indole; in uno circa regionem cordis acerrimus dolor, pectoris angustia, anhelitus interceptio, talisque, ut brevi perituum credas; in altero virium

& appetitus prostratio, nausea, vomitus; in hoc sitis inexplebilis, calor adurens, aut glaciale frigus, syncope; in illo febris intensa, pertinaces vigilæ, anxietas, perturbatio mentis, aliaque id genus. Nullaque remedia adeò feliciter hæc crudelia symptomata compescunt, quam Ipecacuanha, observatis observandis; etenim ano & cato causam foventem expellit, & partibus mucilaginosi erosas illinit.

I V.

DYSENTERIÆ crudele symptoma, sed non magis pertimescendum, dolor; dum viget, spes adhuc salutis; è contrà tollitur, si derepentè cesset, superveniente extremorum glaciali frigore, debili existente pulsu, linguâ aridâ & nigrâ, cum frequenti singultu, & calore præternaturali adurente præcordia; tunc temporis conclamatum est; tum sævientis mali periculum, non modò pars declarat affecta, sed & vitiosus humor, ulcerisque cacoëthia. Ulcus si gracili insideat intestino, vix coalescit; crassum, si penitus depascatur, lethale. Ab atrâ bile natum, sicut cancer occultus infert perniciem. Hujusce dysenterici affectus procatartici causæ, cibi, potus & aër, quibus stat hominum vita. Aër vitæ necisque arbiter, si purus, sanitatē conciliat; lædit verò destruitque infectus pravis putrescentium corporum miasmatis, eorumque tetrâ mephiti. Tunc morbus ille contagionis particeps, & popularis epidemicè grassatur, nemini ferè non nocens. Cui pariter morbo immoderatus fructuum horariorum usus, nimia cibi & vini ingurgitatio, vel aquæ, quas liberior aura non verberat, ansam præbent; ex iis præcipuè fontibus manat bilis flava, viridis & atra, sicut acris & falsa pituita, proximæ & internæ affectus dysenterici causæ.

V.

MULTIPLEX licet Dysenterici causæ, unicum huic expugnandæ medicamen specificum, una medendi methodus. Quæ à bili flavâ vel viridi, bulliente in venis sanguine, pleno pulsu cum acutâ febre, aliisque concomitantibus symptomatis, radici Brasiliensi cedit, celebratâ prius & repetitâ, si expediat, venæ sectione: cedit pariter illa quæ à falsâ & acri primas infarciēte vias pituitâ, ducit originem. Hæc, præstantissimum naturæ munus Brasiliensis Provinciæ incolis concessum, data opportuno tempore, & conveniente dosi dysentericos fluxus aliosquē complures potentèr expugnat. Nec mirandi locus: cum stabulantem in stomacho bilem, vel pituitam per superiora, aut utramque in intestina labentem per inferiora repurget: vacuatâ sic peccantium humorum saburrâ mitescit dolor, cessat febris, & adstringitur alvus; ast si diutius inhæserint intestinorum fibris peccantes succi, & ulcus his intulerint, radix sola morbo non medetur prorsus: quapropter anodyna præstò

sint; proderit enema leniens, detergens & mundificans; confert potio cardiaca somnum concilians; confert & lene catharticum. Quisquis ergo Dysenteriam laborans, & vitæ cupidus, ad radicem Brasiliensem, Ipecacuanha vernaculo nomine dictam, velut ad sacram salutis anchoram confugiat; excellens hoc medicamen, omnibus amicum, pueris prodest, senibusque nec gravidis nocet.

Ergò Dysenteriae Ipecacuanha.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Renatus SIGAULT,
Anatomes & artis obstetriciæ
Professor, Regiâ Scientiarum
Academiâ Divionensi,
Regis Pensionarius.

M. Joannes THAURAU.

M. Henricus-Alexander TES-
SIER, è Regiâ Scientiarum
Academiâ.

M. Augustinus THOURET.

M. Maria-Zorobabel MUNIER,
Cousiliarius Medicus Regis
ordinarius, domus Regiæ In-
validorum Ducum & Mili-
tum, & Antiquus Regis in
Coloniis Orientalibus Me-
dicus.

M. Deodatus JEANROY.

M. Stephanus-Ludovicus GEOR-
ROI, Eques, Regi à Consi-
liis & Secretis, Societatis Bo-
tanicae Florentinae, nec-non
Patrioticae Stokolmiensis So-
cius.

M. Dionysius PAUTIER DE
LABREUILLE S. Comitibus
Gallo-Provinciae Medicus
Primarius.

M. Natalis-Andreas-Joannes
Baptista CHESNEAU,

Proponerebat Parisiis **ANTONIUS-PETRUS DEMOURS,** Parisinus; Regiâ
Christianissimi Medicus Ocularius designatus, Doctor Medicus Avenionensis,
nec-non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1783.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis **QUILLAW,** Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.